expositione Catholicæ fidei, dicit, controversiam de Baptismo Hæreticorum nondùm esse *Synodali judicio decisam* : ergo. Hoc argumentum extollunt Adversarii, sed vitreum est. Nàm R. 1. retorquendo illud. Si dogma rebaptizantium fuisset proscriptum decreto Concilii Arelatensis, quod juxta Adversarios fuit plenarium totius orbis, ex omnibus mundi partibus congregatum, & cui adfuerunt 600. Episcopi, duplo plures quàm Concilio Nicæno, illud non ignorassent laudati Patres; atqui tamèn ignoraverunt in sententia Objicientium : ergo. 2. D. Maj. Si dogma rebaptizantium fuisset Nicæni Concilii generalis decreto proscriptum formalitèr, & explicitè, id non ignorassent laudati Patres, C. si fuisset proscriptum illativè tantùm, N. Maj. & omissa Min. D. Conseq. Ergo non fuit proscriptum decretis Nicænis in mente laudatorum Patrum, Transeat; in mente Aug. N. Cùm enim, ut diximus, hoc dogma in Concilio Nicæno non formalitèr, & explicitè, sed tantùm illativè proscribatur, alitèr de illo potuerunt sentire laudati Patres, alitèr Augustinus, & ipse attenderet ad consequentiam, ad quam alii non attenderent. Hìc autèm quærimus, non principalitèr quid, & quomodò definierit Nicænum Concilium circà Baptisma Hæreticorum, sed quid de illo senserit Aug. Dato ergo, præfatos sanctos Patres censuisse, nihil in dicto Concilio definitum fuisse, non sequitur, quòd ea fuerit Augustini sententia, sicùt, nec fuit Hieronymi, Innocentii, & Siricii, ut patet ex superioribus.

R. 3. De Athanasio, & Optato diximus Sect. præcedenti, eosque ab errore Rebaptizantium vindicavimus. Ad S. Basilium, qui fuit Firmiliani Succesor, non ideò rejecit Baptisma Hæreticorum, quòd ignoraverit Decretum Nicænum; sed quia existimavit illud spectare non fidei dogma, sed disciplinæ variabili secundùm variam Regionum consuetudinem. Ad S. Epiphanium: non dixit, controversiam de Baptismo non esse Synodali judicio decisam, sed non esse *Synodali judicio decisum*, rebaptizandos esse Arianos, proùt quidam Catholici rebaptizabant, quorum ideò temeritatem arguit.

Urgebis tandèm : Si Augustinus censuit, Concilium plenarium, in quo finita fuit controversia de Baptismo Hæreticorum, esse Concilium generale Nicænum, quare illud non nominavit, cùm id maximè profuisset causæ, quam defendebat contra Donatistas? Et ego vicissim quæro, si Augustinus censuit, Concilium plenarium, in quo fuit finita controversia hæc, esse Concilium Arelatense, juxta adversarios, universale totius orbis ex infinitis locis, & omnibus mundi partibus convocatum, quare illud non nominavit, cùm id paritèr suæ causæ profuisset? Non nominavit ergo Concilium Nicænum; quia inter passionem Cypriani, & ipsius Augustini nativitatem erat primum, & unicum Concilium plenarium totius orbis, & universæ Ecclesiæ, quod neminem latebat.

DISSERTATIO VI.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

CIrca subjectum Sacramentorum quatuor quæri possunt 1. Quodnam sit? 2. Utrùm ad integritatem Sacramenti requiratur in eo intentio illud suscipiendi? 3. Quæ dispositio necessaria sit, ut licitè, & cum fructu Sacramenta recipiat? 4. Utrùm indigno petenti liceat ministrare Sacramenta?

Circa 1. nulla est difficultas. Certum est enim 1. solum hominem viatorem de lege ordinaria esse Sacramentorum subjectum; sunt enim instituta a Christo ut media gratiæ, & salutis adipiscendæ; quod competit solis viatoribus, non Beatis indefectibilitèr, nec damnatis irreparabilitèr. Dixi : de lege ordinaria; quia ità instituit Christus. An autèm, si voluisset, Angelos, & Beatos quibusdam Sacramentis subjicere potuiset? Nulla videtur implicantia. Certum est 2. omnem hominem viatorem esse subjectum capax Baptismi Patet ex usu Ecclesiæ, quæ & infantes, & amentes baptizat. Et ratio est; quia Baptismus est absolutæ necessitatis ad salutem. De omnibus enim dixit Christus Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Certum est 3. solum hominem baptizatum esse subjectum capax aliorum Sacramentorum; quia per solum Baptisma homo fit domesticos Dei, & membrum Ecclesiæ; & ità est janua ad alia Ecclesiæ Sacramenta. Certum est 4. non omnem baptizatum esse subjectum capax omnium Sacramentorum : infantes enim, & amentes perpetui non sunt capaces pœnitentiæ; quia hujus Sacramenti materia sunt actus pœnitentis; neque Extremæ-Unctionis institutæ ad delendas reliquias peccatorum actualium; neque Matrimonii, ad quod requiritur consensus deliberatus, cujus sunt incapaces. Sunt autèm capaces Confirmationis, & Eucharistiæ, cùm olim utrumque illis conferretur : itèm masculus Ordinationis; cùm nihil obstet.

Circà tertium, patet ex dictis Dissert. 3. art. 4. §. 2. pro Sacramentis mortuorum requiri saltèm attritionem : pro Sacramentis vivorum statum gratiæ saltèm prudentèr existimatum per confessionem, vel contritionem, ut dixi de Ministro Dissert. 5. art. 5. eadem enim est ratio utriusque : excepto tamèn Sacramento Eucharistiæ, ad quod requiritur confessio. Adeas loca citata.

Restat ergo quæstio de 2. & 4. Primum discutit Auctor infrà q. *68*. art. *7*. de Baptismo. Secundum q. *80*. art. 6. de Eucharistia. Sed quia hæ duæ quæstiones spectant etiam alia Sacramenta, eas hìc examini subjiciendas duxi. Sit itaquè

ARTICULUS I.

An, & quæ intentio in suscipiente Sacramentum requiratur ad ejus integritatem?

DIco 1. Excepta Eucharistia, requiritur ad integritatem Sacramenti in suscipiente intentio interna suscipiendi illud, ut rem in Ecclesia sacram, seu quam solet Ecclesia conferre, ideòque, qui se habet merè passivè, seu ut dicunt neutralitèr, neque volens, neque nolens, a fortiori qui reluctatur, non percipit Sacramentum. Excipio Eucharistiam; quia, cùm consistat in re permanenti, independentèr a quavis intentione, tàm suscipientis, quàm ministrantis, remanet Sacramentum.

Prob. Conclusio auctoritate Conciliorum, sum. Pontificum, & SS. Patrum. Concilium Carthaginense 3. ann. 397. Can. 34. dicit : *Ægrotantes si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt periculo proprio dixerunt, baptizentur.* Ubi apertè requirit intentionem suscipiendi Sacramenti. Concilium Arausicanum I ann. 441. Can. 12. sic statuit : *Subitò obmutescens, proùt status ejus est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu* : ergo idem quod priùs.

Innocentius III. cap. *Majores* de Baptismo, & ejus effectu Extrà. libr. 3. tit. 42. in primis rejicit opinionem eorum, qui dicunt, quòd *Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus, & Ordo, cæteraque similia* (adverte obitèr, sermonem non esse de solo Baptismo, ut fingit Vanroy) *non solùm dormientibus, & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, etsi non quoad rem, quantùm tamèn ad caracterem conferuntur*. Hanc, inquam, opinionem rejicit : *Quia* inquit, *qui fuissent inviti, & reluctantes immersi, saltèm ratione Sacramenti, ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent. Undè ad servandam regulam Christianæ fidei forent rationabilitèr compellendi. Verùm id est Religioni Christianæ contrarium, ut sempèr invitus, & penitùs contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Deindè definit : *Illum, qui numquàm consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec caracterem suscipere Sacramenti*, &c. Tandèm declarat : *Characterem non suscipere dormientes, & amentes, si, priusquàm amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictionibus persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare : secùs autèm, si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Undè tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare.*

Rituale Romanum Pauli V. vetat, ne Baptismus conferatur ei, *qui usum rationis habuit antè amentiam, & numquàm ostendit voluntatem Baptismi, aut intentionem, aut petitionem illius.*

S. Aug. libr. 4. contra Donat. c. 24. *Si pro eo*, inquit, *qui respondere potest, alius respondet, non itidèm valet* Sacramentum.

S. Thom. infrà q. 68. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; si tamèn hoc non constaret, esset dicendum : si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et in corpore ex professò probat, ad validitatem Baptismi requiri intentionem illud suscipiendi. Insupèr q. 45. art. 4. o. *Si aliquis*, inquit, *ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus.* Et in 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 3. *In adultis*, inquit, *& in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & in-*

tentio, vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autèm absquè utroque perficitur, & Sacramentum, & res Sacramenti; & similitèr est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, non actu.

Ratio a priori est voluntas Christi sic instituentis Sacramenta; quæ voluntas colligitur ex doctrina, & praxi Ecclesiæ, ut patet ex dictis, & sequentibus rationibus, & congruentiis. 1. Non est verisimile, Christum voluisse de lege ordinaria justificare, filium, ac hæredem suum constituere adultum nequidèm de sua justificatione cogitantem, a fortiori reluctantem. Confer Tract. de gratia Dissert. *6*. art. 3. ubi probavimus, hominem adultum non justificari per gratiam, nisi ad eam se disponat per motum liberi arbitrii. 2. Cùm quædam Sacramenta, præsertim Baptismus, & Ordo, ad certum vitæ genus adstringant, & graves oblationes imponant suscipientibus, manifestæ rationi consentaneum est, ut ad id non compellantur nisi volentes. 3. Christus sua Sacramenta instituit, ut humanis actibus perficerentur tàm ex parte suscipientium, quàm ministrantium; ità exigit dignitas Sacramenti, sublimitas finis illius, scilicèt justificatio, & salus hominis; atque ipsius conditio, qui non more brutorum, sed ratione debet regi, & agere, maximè in salutis æternæ negotio; ideòque receptio Sacramenti non secùs ac ejus collatio debet esse humana; & quamvis sit passio, non tamèn coacta, sed voluntaria, ut ait Auctor q. 68. art. 7. cit. ad 1. Hanc autèm intentionem debere esse internam, id est, intentionem suscipiendi rem ut sacram in Ecclesia, seu quod Ecclesia facit, nec sufficere intentionem recipiendi rem profanam, aut simulandi, vel ludendi, est disertè S. Thomæ in supplemento mòx cit. & patet, quia qui intenderet recipere rem profanam, aut simulare, vel ludere, non intenderet recipere Sacramentum.

Dico 2. Hæc intentio requisita in suscipiente ad valorem Sacramenti non debet necessariò esse actualis, nequè propriè virtualis, vi scilicèt cujus moveatur ad suscipiendum Sacramentum, sed sufficit, quòd aliquandò præcesserit, & non sit revocata, ideòque moralitèr perseveret, exceptis Pœnitentia, & Matrimonio. Vocatur a quibusdam intentio interpretativa, ab aliis habitualis: posset etiam dici latè virtualis, quia, licèt, ut dixi, suscipiens vi illius non moveatur ad suscipiendum Sacramentum, ex eo tamèn quòd præcesserit, censetur voluntariæ illud suscipere. Patet Conclusio ex dictis : juxta enim Innocentium III. Paulum V. S. Thom. & Ecclesiæ praxim, amentes, aut alitèr usu rationis carentes baptizantur, si priùs habuerint voluntatem suscipiendi Sacramentum, & illam non revocaverint. Undè non requiritur tanta intentio in suscipiente, ac in ministrante; quia, ut jam notavi superiùs, Minister cum sit agens, debet habere intentionem, quæ sit principium actûs humani, & determinativa ad esse Sacramenti : suscipiens autèm est patiens, etsi voluntarius, & illius intentio non requiritur, ut sit principium actûs humani, & determinativa ad esse Sacramenti, sed tantùm ut dispositio subjecti, & sic sufficit, quod illam aliquandò habuerit, & non retractaverit. Excepi Pœnitentiam, & Matrimonium; quia, cùm in istis Sacramentis actus suscipientium sensibilitèr expressi sint illorum Sacramentorum materia, non sufficit, quòd aliquandò præcesserit voluntas ea suscipiendi, nisi adsint isti actus, ex quibus constituitur Sacramentum. Adde, quod in Matrimonio contrahentes sint Ministri. Undè amens, quamvis ante amentiam habuerit voluntatem confitendi, aut contrahendi, non potest absolvi, aut contrahere, quia non potest ponere actus, ex quibus constituitur Sacramentum, scilicèt, confessionem dolorosam, aut consensum sensibilitèr expressum.

Dico 3. Quantùm ad Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis, sufficit intentio implicita ea recipiendi, inclusa, puta, in vita Christiana, vel proposito vivendi christianè. Quia hoc ipso quo quis vivit, aut proponit vivere piè, & catholicè, habet implicitè, & sufficientèr intentionem, ut sibi conferantur omnia Sacramenta sibi ad salutem necessaria, aut valdè utilia, qualia sunt assignata. Excludo Pœnitentiam, & Matrimonium propter rationes mòx allatas in præcedenti conclusione : itèm, & Ordinem; quia, cùm non sit ità utilis particulari, & inducat magnum statûs mutationem, gravesque obligationes, nemo potest censeri illud Sacramentum intendere in generali proposito vivendi christianè, nisi de eo aliquandò voluntatem expressam habuerit, aut certè aliquid intendat, in quo includatur intentio Ordinis.

Cæterum pro explicatione utriusque conclusionis observandum est, hanc intentionem habitualem sive explicitam, sive implicitam, suscipiendi Sacramentum, non sufficere, ut in omni casu, & modo suscipiatur, sed tùnc solùm, & eo modo, quo christiano more, & rationabilitèr potest, & debet conferri, ac suscipi, scilicèt, in casu necessitatis, in periculo mortis, in amentia perpetua, vel etiam extra casum necessitatis, sed cum advertentia, & cognitione. Ratio est; quia homo vi suæ primæ intentionis, sive explicitæ, sive implicitæ, non censetur prudentèr velle Sacramenta suscipere nisi tempore, ritu, & modo, quo conferri solent Christianis. Undè, etsi quis ante mensem, vel aliquot dies habuisset intentionem, sive explicitam, sive implicitam, suscipiendi Baptismum, Confirmationem, Ordinem, &c. validè non susciperet in ebrietate, somno, amentia transitoria, ignorantia, &c. nisi fortè ejus intentio expressè se extendisset ad hos casus, tùnc enim validè, sed illicitè susciperet.

Sed quid, si non intendat quidèm expressè Sacramentum suscipere in ebrietate, vel somno; prævidet tamèn se in ebrietate, vel somno baptizandum, confirmandum, ordinandum, &c. & in illa prævisione sola, sine intentione, se inebriat, vel somno dat? R. illum invalidè suscipere Sacramenta. Ratio est; quia intentio indirecta, seu in causa non censetur se extendere ad id, quod sequitur per accidens ad causam liberè positam, nisi cùm tenemur illud vitare, cum tali enim intentione posset subsistere contraria : v. gr. honesta mulier, ob justam causam modesto ornatu procedens in publicum, ex quo prævidet aliquem peccaturum, non censetur ullo modo velle hoc peccatum, sed e contra non vult : censetur tamèn velle, si ob aliquas circumstantias teneretur hoc peccatum vitare in proximo. Undè in casu posito talis homo vellet sufficientèr peccatum irreverentiæ in susceptione Sacramenti; quia tenetur illam vitare : non tamèn censetur sufficientèr velle Sacramentum, quia non tenetur vitare, sed potiùs sumere non quidèm in illo statu, sed benè dispositus. Adde, quòd posset absolutè habere intentionem contrariam susceptioni Sacramenti.

Solvuntur objectiones contra 1. *Conclusionem.*

OBj. 1. plura exempla eorum, qui inviti, & reluctantes, aut saltèm nescientes, ordinati sunt. Inter illa tria sunt notiora, & solutu difficiliora. Primum est Pauliniani fratris S. Hieronymi, de quo S. Epiphanius Ep. inter Hieronymianas 60. nùnc 110. ait : *Ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens adjuraret nos per nomen Christi, & primùm Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret.* Alterum exemplum est Bassiani, qui Ep. ad Valentinum, & Marcianum Imperatores, quæ extat act. 11. Conc. Chalced. narrans, quomodo a Memnone Ephesino Antistite fuerat ordinatus Episcopus Evazorum, dicit : *Ego autèm non acquiescebam, sed ab hora tertia usquè ad sextam coràm altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium, & altare sanguine est impletum.* Tertium exemplum est Macedonii Eremitæ in vertice montis, de cujus ordinatione, facta a Flavinio Antiocheno, scribit Theodoretus in Hist. Religiosa c. 13. quòd Flavianus Macedonium *de montis vertice per speciem objectæ accusationis abduxit, & sub mysticum sacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum : cùmque, peracta liturgia, hoc illi quidam indicassent* (ignorabant enim prorsùs quid egissent) *primùm quidèm conviciis, verbisque asperis proscidit universos; deindè, arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, & alios, qui aderant, inseeutus est.* Proferunt itèm ordinationes Ambrosii, Paulini, Nepotiani, Augustini, & quorumdam aliorum : ergo.

R. duplici modo aliquem dici invitum, & coactum respectu suæ ordinationis. 1. Sìc, ut neque precibus, neque rationibus, neque minis victus unquàm annuit, sed sempèr obluctatur; vel omninò inscius ordinatur; & hujusmodi ordinatio est invalida. 2. modo, sic, ut præ humilitate se indignum reputans, & reverentia erga sacrum Ministerium motus primùm reluctatur, sed tandèm auctoritatis pondere, rationibus, suasionibus, minis victus consentit; & talis validè ordinatur, quia adest sufficiens consensus : & ità in multis contingere, scribit Aug. Ep. ad Donat. 204. nùnc 173. *Multi*, inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donèc eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.*

Tales fuerunt Paulinianus, & Bassianus. De Pauliniano enim scribit ipse Epiphanius ibid. *Valdè quippè obtinebatur, indignum se esse contestans : vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & persuasione mandatorum Dei.* Neque obstat, quod os teneretur, non enim id coactionis, sed potiùs necessarii consensus est argumentum : quia moris erat tùnc, ut, qui juraverat se non suscepturum Ordines, non ordinabatur, ne perjurii reus esset, ut patet ex Basilio Ep. ad Amphiloc. c. 10. Et id timebant, qui os Pauliniani tenebant, *Ne fortè liberari se cupiens*, inquit Epiphan. *adjuraret nos per nomen Christi.* Nullum autèm fuisset periculum perjurii, si voluntate nunquam assentiente ordinati fuissent. Idem probat factum Bassiani, ut quid enim tamdiù cæsus, nisi ut tandèm præberet consensum? Talis autèm consensus, licèt sit involuntarius secundum quid, est tamèn vo-

luntarius simplicitèr, ut communitèr docetur de his, quæ fiunt ex metu, & mòx dicemus. Quod autèm dicimus de his duabus ordinationibus, dicendum est a fortiori de ordinationibus Ambrosii, Paulini, Nepotiani, Augustini, & similibus, quæ referuntur. Quantùm ad ordinationem Macedonii, quæ Majorem patitur difficultatem, quidam dicunt ipsum consensisse iis omnibus, quæ religiosè peragebat circa illum Flavianus, & ideo implicitè suæ ordinationi. At probabiliùs respondent alii, ejus ordinationem fuisse irritam, nisi posteà ipso consentiente iteratus sit ritus sacer, idque stat innuit ipse Theodoretus addens: *Scimus sanè, haùd laudandam multis visum iri hanc narrationem.* Proferuntur insupèr Ordinationes S. Gregorii Thaumaturgi, & S. Danielis Stylitæ, qui dicuntur ordinati absentes. Verùm indè probaretur, etiam validam esse ordinationem absquè manuum impositione, & materiæ applicatione, quod nemo admittit. Hæc igitùr exempla nihil ad præsentem controversiam conferunt; & dicendum, has ordinationes, vel factas fuisse divinitùs ministerio Angelorum, ut narratur de consecratione Amphilochii Episcopi Iconiensis, vel posteà fuisse suppletos ritus ordinationum.

Inst. Civis potest invitus promoveri ad Consultum, ubi id exigit bonum commune: ergo Catholicus Ecclesiæ subditus ad sacri Ordinis gradum, ubi id poscit utilitas Ecclesiæ. R. N. Conseq. Disparitas petitur 1. ex voluntate Christi, quæ nobis constat ex definitionibus, praxi, & communi sensu Ecclesiæ. 2. Promotio civis ad Consulatum est tantùm denominatio extrinseca nihil ponens in promoto, & deputatio ad exterius ministerium coactioni subjectum; homo enim hominem ad actus externos cogere potest. At Ordinatio sacra gratiam, characterem, potestatem Ecclesiasticam ponit in anima, ubi Ecclesia non habet potestatem cogendi; quam licèt dare potuerit Christus, non dedisse tamèn constat ex probationibus conclusionis. Potest ergo Catholicus invitus deputari ministerio altaris, sicùt civis regimini exteriori, & tenetur in necessitate consentire, & acceptare; & hoc probat paritas argumenti. At si renuat, peccat quidèm, sed nihil efficitur.

Repones: Qui recipit alapam, invitus recipit, & tamèn recipit: ergo similitèr de Sacramento. R. N. Conseq. (*Hìc quæst. 68. art. 7. ad 1.*) Disparitas est, quòd receptio Sacramenti sit passio voluntaria, receptio autèm alapæ passio coacta.

Obj. 2. Ecclesia approbat Baptisma metu suppliciorum susceptum; & sic baptizatos cogit ad mores Christianorum, ut patet ex Concilio Toletano circa baptizatos tempore Regis Sisebuti: ergo. R. N. Conseq. quia, quæ fiunt ex metu, sunt simplicitèr voluntaria, neque obstat voluntas contraria conditionata; vellet quidèm non suscipere Baptismum, sed ne detrimentum patiatur, vult simplicitèr, & absolutè recipere. Patet in mercatore projiciente merces in mare metu naufragii. Et, quamvis sic metu adacti possent retinere intentionem internam suscipiendi rem ut in Ecclesia sacram; hoc ipso tamèn quòd ritum externum, ut fieri solet; suscipiunt sicùt alii, Ecclesia, quæ non judicat de internis, præsumit in foro exteriori voluisse suscipere Sacramentum, & esse verè baptizatos, & ideò eos cogit stare Religioni Christianæ, quam in baptismate perceperunt. Ità respondet Innocent. III. cap. cit. *Majores.*

Obj. 3. Ipse Innocentius ibid. dicit: *Tùnc ergo charactèrem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit*: ergo saltèm non requiritur in suscipiente consensus positivus, sed sufficit, quòd non sit in eo voluntas contraria, & neutralitèr se habeat. Eamdem sententiam tenet Glossa. Ità Cajetanus. R. N. Conseq. Utrumque enim requirit Innocentius, & consensum positivum, & non resistentiam extrinsecam. Definit enim, dormientes, & amentes non recipere characterem, si anteà habuerint contrarium propositum, & non retractaverint; e contrà recipere, si habuerint antea propositum Baptismi: ergo requirit Innocentium, non solùm quòd suscipiens non sit contrarius, sed etiam quòd sit consentiens. Quandò itaquè statim concludit sic: *Tùnc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*; per *obicem voluntatis contrariæ* intelligit non solùm resistentiam positivam, sed etiam dissensum negativum, seu carentiam consensûs, ità ut ex negatione intelligenda, & supponenda sit affirmatio contraria; scilicèt: cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, sed voluntatem in consensu perseverantem; alioquin ejus illatio non corresponderet utrique membro definitionis præcedentis, ex qua elicitur. Quoad Glossam non moramur, quia non est tantæ auctoritatis.

Obj. 4 ex Aug. 1. S. Doct. l. 4. Confess. c. 4. narrat, quòd quidam amicus febribus laborans, *cùm desperaretur, baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus*; atqui is non habuerat intentionem suscipiendi Baptismum, cùm scribat Aug. quòd eum deflexisset ad superstitiosas, & perniciosas fabellas: ergo. 2. Tract. 26. in Joann. dicit: *Accipere quisquam potest Sacramentum nolens; credere non potest nisi volens*: ergo. R. ad 1. N. Min. Quamvis enim Augustinus eum deflexisset ad perniciosas, & superstitiosas fabellas, is tamèn veram fidem, licèt *nondum germanitus, & penitùs* tenebat, ut scribit S. Doctor; erat Catechumenus, baptismumque desideraverat; cumque Augustinus Baptismum ejus irrideret, *Ità irridentem exhorruit ut inimicùm, admonuitque mirabili, & repentina libertate, ut si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret.* Quæ omnia ex ipso Aug. ibid. probant, falsam esse Minorem argumenti. Ad 2. Aug. loquitur de susceptione Eucharistiæ, ut patet ex textu; dicit enim. *Intrare quis Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens accipere Sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens.* Quòd si contendas, Augustinum loqui etiam de Baptismo, dicam ipsum ità loqui respectivè ad infantes, aut ad adultos secundùm quid tantùm invitos.

Obj. 5. Concilium Florentinum definit, tria tantùm concurrere ad perfectionem Sacramenti, materiam, formam, & intentionem Ministri, nihil de intentione suscipientis: ergo non requiritur. R. N. Conseq. Quia Concilium loquitur tantùm de iis, quæ sunt communia omnibus Sacramentis: intentio autèm suscipientis non est necessaria omnibus Sacramentis, scilicèt susceptioni Eucharistiæ, & Baptismo pro parvulis, & amentibus.

Inst. 1. Quod est necesarium in uno ad substantiam Sacramenti, est necessarium in omnibus: ergo. R. D. Ant. Quod est necessarium, ut quid essentiale, C. Quod est necessarium ut dispositio subjecti tantùm, & conditio sine qua non, Subdistinguo: si subjectum sit capax illius, C. si sit incapax, ut sunt pueri, & amentes, N.

Inst. 2. Quod non est essentiale uni Sacramento, non est essentiale alteri; atqui intentio subjecti non est essentialis alicui Sacramento ex dictis: ergo nulli. R. C. totum: non enim dicimus intentionem subjecti requiri essentialitèr ad Sacramentum, sed tantùm ut conditionem ex parte subsecti.

Inst. 3. Perfectio Sacramenti tota est a Ministro: ergo, R. D. Ant. Tota est a Ministro ut a causa efficiente, C. ut a conditione requisita, N..

Inst. 4. Non requiritur consensus hominis, ut generetur: ergo nec ut regeneretur per Sacramentum. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd generari sit quid naturale, cujus subjectum necessarium est homo incapax consensûs, vel dissensûs, antequam sit genitus. At regenerari per Sacramentum est quid morale naturæ superaditum, & indebitum: subjectum capax consensûs, & dissensûs santificans, constituens Ministrum in foro interiori, graves inducens obligationes. Hæc autèm fieri non conveniebat absquè ejus consensu.

Inst. 5. Baptismus est institutus in remissionem peccati Originalis; atqui peccatum originale sine intentione, & consensu contrahitur: ergo sine intentione, & consensu remittitur R. 1. Baptismum non esse tantùm institutum in remissionem peccati Originalis, sed etiam actualis, quod proprio consensu committitur. 2. N. Conseq. Ex hoc enim quòd peccatum Originale contrahatur sine consensu propriæ voluntatis, non sequitur, quòd sine consensu debeat dimitti, sed eo modo, qui Deo placuerit. Placuit autèm Deo, quòd adultis, qui sunt capaces consensûs, & dissensûs, non dimitteretur sine proprio consensu, quatenùs homo adultus sine motu propriæ voluntatis non justificatur de lege ordinaria, ut dixi dùm de gratia, loco supra citato: neque convenit, ut sine proprio consensu induat novum statum, & graves obligationes.

Petes, utrùm fides requiratur in suscipiente ad valorem Sacramenti? R. (*Infrà q. 68. art. 8. o.*) negativè, excepta Pœnitentia. Patet ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ ratum habuit Baptismum, quem Hæretici sub legitima forma receperant. Et ità expressè resolvit Aug. l. 3. de Bapt. c. 14. Ratio est; quia Sacramentum non perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei. Excipi Pœnitentiam; quia, ut jam non semèl dixi, ejus materia est actus pœnitentis, scilicèt, actus contritionis, seu attritionis, qui non potest esse sine fide.

Si opponas Optatum Milevit. qui libr. 5. adversùs Parmen; dicit necessariam fidem suscipientis sicùt invocationem Trinitatis. & Ambrosium, qui l. 1. de Spiritu S. c. 3. dicit, sine fide Trinitatis vacuum esse Sacramentum. R. ad 1, juxta Optatum, necessariam esse fidem suscipientis, sicùt invocationem Trinitatis, sed non in eodem gradu. Invocatio namque Trinitatis necessaria est ad substantiam Sacramenti, seu, ut dicit Optatus, *sine qua res non potest geri*; fides autèm suscipientis est necessaria ad effectum Sacramenti; sicque ly *sicùt* non dicit omnimodam paritatem. Ad 2. Ambrosius paritèr loquitur de effectu; res enim, quæ non obtinet effectum, ad quem est instituta, rectè dicitur vacua.

AR-

ARTICULUS II.

Utrùm liceat ministrare Sacramenta Peccatori, ea petenti?

PEcator (*Infrà q. 80. art. 6. o. & in 4. d. 9. q. 1. art. 5. q. 1.*) vel est publicus, vel occultus. Publicus dicitur vel evidentia juris, quandò scilicèt in judicio est criminis convictus aut confessus; vel evidentia facti, quod nulla tergiversatione celari potest. Hoc ultimum non ità facilè dignoscitur; non enim solùm attendi debet numerus testium, sed qualitas delicti, loci, personarum, quæ crimen noverunt, ità ut censeatur prudentèr ad communem notitiam venisse, vel brevi perventurum. Peccator ocultus dicitur, cui deest evidentia juris, aut facti. Itèm peccator, sive occultus sive publicus, vel publicè petit, ut si cum aliis ad sacram Mensam accedat; vel occultè, ut si privatim; vel etiam palàm, sed solus petat, & Minister non paratus, aut alio detentus, honestè prætexit suas occupationes sine scandalo & diffamatione petentis.

Dico: (*Ib.*) Pecatori occulto ocultè petenti, & publico, sive occultè sive publicè petenti, extra periculum mortis deneganda sunt Sacramenta, excepta Pœnitentia, & in aliquo casu Matrimonium. Est comunis. Ità Rituale Romanum de Eucharistia quoad utramque partem. Quantùm ad 1. *Ocultos verò peccatores*, inquit, *si ocultè petant & non eos emendatos noverit, repellat.* Quantùm ad 2. *Arcendi sunt*, inquit, *publicè indigni, quales sunt Excomunicati, interdicti, manifestique infames, ut Meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores nisi de eorum pœnitentia constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.*

Notanda sunt hæc ultima verba: *Nisi de eorum pœnitentia constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.* Ex quibus patet, quòd non sufficiat emendatio, sed requiratur reparatio scandali per conversionis notitiam. Si tamèn occultè petat, & Ministro præsentibusque, si adsint, constet de ejus conversione, sitque certum, quòd conversio simûl cum perceptione Sacramenti innotescet, videtur, quòd tùnc non sit denegandum, cùm nulla appareat ampliùs causa denegandi. Ratio utriusque patris est; quia ex hoc quòd Sacramentum denegetur peccatori occulto occultè petenti, vel publico, publicè aut occultè petenti, nulla sequitur ejus diffamatio, aut aliud inconveniens: consequentèr Minister peccaret contrà Religionem, dando sine urgente causa sanctum canibus cum magna Sacramenti irreverentia; abuteretur suo Ministerio, quod est illi datum ad ædificationem & non ad destructionem; & concurreret absquè necessitate peccato saltèm externo alterius, internumque foveret; & si esset publicum, magnum generaret scandalum.

Dixi 1. *Extrà mortis periculum*: quia cum Sacramenta sint propter homines, in extremis extrema sunt tentanda, & potiùs exponitur Sacramentum irreverentiæ, quàm privetur homo in tanta necessitate Sacramento, quod prodesse potest. Debet tamèn conari Minister, in quantum tempus permittit & facultas adest, ut peccator morti proximus det eo modo quo potest signa pœnitentiæ; etiam publica, si sit publicus. Dixi 2. *Excepto Sacramento Pœnitentiæ*: quia Sacarmentum Pœnitentiæ est omnibus peccatoribus secunda pòst naufragium tabula, ad quam ideò omnes peccatores etiam sceleratissimi, sive occulti, sive publici, confugere debent: idque probat praxis Confessariorum, qui omnes admittunt, & secundùm dispositionem cujusque absolvunt, differunt, aut remittunt: neque indè ullum inconveniens natum est sequi pro fama pœnitentis, aut tranquilitate Reipublicæ. Dixi 3. *Exceptio etiam Matrimonio in aliquo casu*: quia in vicinia Hæreticorum propter tranquilitatem Reipublicæ toleratur Matrimonium cum parte hæretica, eique consequentèr peccatori publico ministratur Sacramentum. Id autèm ad alios casus non est extendendum, nisi ex gravi causa ab Ecclesia approbanda.

Multi etiam excipiunt casum, quo Minister non nisi ex Confessione sciret crimen petentis Sacramentum; quia nunquàm licet uti scientia Confessionis cum confusione & rubore pœnitentis, ex quo redderetur Sacramentum valdè odiosum. Et ità videtur definivisse Eugenius Papa cap. *Si Sacerdos*, de officio judicis ordinarii extrà l. 1. Tit 31. c. 2. *Si Sacerdos*, inquit, *sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit & emendare noluerit .. non nominatim potest eum removere a Communione... Quia non ut Judex scit, sed ut Deus.* Equidèm S Thom junior in 4 d 9. q. 1. art 5. q 1. videtur docere oppositum secutus Doctores sui temporis, Alensem, Richardum, &c. Sed interpretatur Sylvius, scilicèt, si ex alia causa quam criminis auditi in confessione possit honestè se excusare. Alii dicunt, S. Tohm. seniorem factum tacitè etractasse in Summa, quod junior docuerat in Sententiis quia infrà q. 80. art. 6. cit. ubi ex professò quærit, utrùm liceat denegare Corpus Christi peccatori petenti, & ubi ideò opportunum fuisset hanc priorem suam opinionem inserere, omninò omittit.

Dico 2. (*Ib.*) Peccatori oculto publicè petenti non est denegendum Sacramentum, ubi sine ejus diffamatione & scandalo denegari non potest, ut si cum aliis accedat ad sacram Mensam. Est etiam communis, & certa; & ità definitur in Jure 6. q. 2. c. *Si tantum.* Extra L. 1. Tit. 31. cap. *Si Sacerdos*, & cap. *Non prohibeat* de Consecr. D. 2. Et ità sempèr observatum fuit in Ecclesia. *Nos*, inquit Aug. hom. 351. olim 50. inter 50. *a Communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive Sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Et Rituale Romanum de Eucharistia, *Ocultos*, inquit, *peccatores, si ocultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem, si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.*

Hujus Conclusionis varii varias adferunt rationes: ut quòd Sacerdos sit Minister publicus, ideòque debeat uti scientia publica. Quòd baptizatus habeat jus ad Sacramenta, quibus non potest privari publicè, nisi publicè constet jus suum amisisse. Itèm quòd habet jus, ne diffametur. His & aliis rationibus omissis, quæ graves & intricatas patiuntur objectiones, arbitror juxta Auctorem (*Infrà q. 81. art. 2. o. & ad 2. & in 4. d. 9. q. 1. art. 5. q. 1.*) rationem fundamentalem Conclusionis esse voluntatem Christi, quæ ex ejus facto nobis innotescit, cùm Corpus suum non denegavit Judæ, quem noverat peccatorem: quod factum Apostoli & Ecclesia apprehenderunt ut exemplum, quod sequerentur; & hinc preceptum in Ecclesia, ut ex ejus traditione & praxi constat. Idque meritò, propter gravia inconvenientia, quæ alioquin sequerentur. Vel enim Minister teneretur probare crimen, vel non: si primum, onus foret ipsi intolerabile, & plerumquè imposibile, cùm vel ipse solus crimen nosceret, vel testes, ut plerumquè accidit, recusarent ferre testimonium. Si secundum, datur ansa Sacerdotibus quemlibet impunè diffamandi: & hìnc jurgia, lites, scandala, turbatio Ecclesiæ & Reipublicæ, dùm Minister justam, suscipiens injustam diceret repulsam: & alii judicarent pravè vel de Sacerdote, quòd injustè repellat eum, qui benè audit; vel de suscipiente, quòd gravi crimini subjaceat; vel etiam de Ecclesia, quòd toleret Sacerdotes, Viros probos, & integræ famæ diffamantes.

Hæc mihi ministrat Angelicus Doctor locis cit. in margine: *Quia*, inquit q. 81. art. 2. o. *Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum pecatorem sine accusatore & evidenti probatione ab aliorum Communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia facciendi.* Et ad 2. *Ideò Christus Judam nan repulit a Comunione, ut daret exemplum, tales peccatores non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos* Et in 4 cit. *Quia aliàs daretur facultas malis Sacerdotibus pro suo libito punire maxima pœna, quos vellent* Neque dicas Christum non dedisse Judæ suum corpus, sed simplicem panem: id enim falsum probabimus cum Auctore ad q. 81. citatam Si ulteriùs dicas, indè probari, quòd etiam peccatori non petenti liceat dare Sacramentum, quia Judas non petebat. R. Quòd cùm Judas inter alios discumberet, nec posset sine scandalo repelli, censendus sit tacitè petiisse, quod omnibus parabatur. Et hìnc evanescunt omnes Objectiones.

Si enim objicias 1. quòd peccator per peccatum amiserit jus ad Sacramentum. 2. Quòd possum manifestare furem, ut restituat ablatum, etiamsi indè infametur. 3. Quòd profanatio Sacramenti sit majus malum, quàm diffamatio indignè accedentis. 4. Quòd nunquàm liceat concurrere ad peccatum alienum. 5. Quòd præceptum sit negativum, nolite dare sanctum canibus. 6. Quòd non possim reddere gladium volenti se, vel alium occidere. 7. Quòd possim aperire crimen volentis se occidere corporalitèr, ut impediam, etiamsi indè diffametur. 8. Quòd non liceat ponere Hostiam consecratam in loco sordido, neque dare petenti ad magiam. 9 Quòd Sacerdos possit dare Hostiam non consecratam. Hæc omnia, inquam, & alia hoc uno verbo solvuntur, quòd in his omnibus non habeamus voluntatem Christi, sicùt habemus in casu Conclusionis, quippè qui illam manifestavit suo facto in exemplum nostrum, cedens hac in parte juri suo, non quidèm in favorem peccatoris, qui ideò non excusatur, sed in favorem Ministrorum, & pro tranquillitate Ecclesiæ: & fortè propter alias causas sibi notas. Ad singula tamèn succintè. R. Ad 1. Peccator amiserit, necne, jus ed Sacramentum, sufficit, quòd Ministro sit obligatio ex voluntate Christi illi ministrandi. Ad 2. N. Conseq Quia manifestationem pèccatoris ad Sacramentum accedentis prohibuit Christus propter gravia inconvenientia, quæ non resultant ex manifestatione furis. Ad 3. D. Profanatio est majus malum peccatori suscipienti, C. ipsi Ministro, N. Ipse enim non peccat

cat

cat, nec profanat, sed facit id, ad quod tenetur ex voluntate Christi. Ad *4.* Minister non concurrit positivè ad peccatum alterius, sed permittit tantùm ex justa causa; quod in pluribus aliis contingit. Ad 5. præceptum est negativum conditionatè, si Christus non dispensaverit, & juri suo non cesserit: vel non est dandum sanctum canibus sine causa, sicùt non est occidendum sinè causa. Insupèr istud, præceptum ad litteram est de non annuntiando Evangelio iis, qui instar canum illum dilacerant. Ad *6.* N. Ant. Si subsit justa causa v. gr. ad evitandam mortem mihi intentam. Aliundè non adest ibi voluntas Christi. Ad *7.* Paritèr id non prohibuit Christus, sicùt prohibuit manifestationem Peccatoris occulti petentis dublicè Sacramenta. Adde, quòd ex manifestatione volentis seipsum occidere non sint nata sequi inconvenientia, sicùt ex nostro casu; tùm quia est de raró contingentibus; tùm quia facilè potest probari furia, aut amentia volentis seipsum occidere. Ad 8. N. Conseq. Utrumque enim in casu nec permisit, nec præcepit Christus, sicùt præcepit in casu Conclusionis. Adde, quòd ex causa liceret etiam ponere in loco sordido, puta ne conculcaretur ab Infidelibus. Ad ultimum, N. Ant. Quia in Sacramento veritatis non debet haberi fictio & mendacium in facto; neque licèt dare scientèr occasionem idolatriæ, etiamsi materialis tantùm. Aliundè ista ratio non currit pro Sacramentis aliis ab Eucharistia.

DISSERTATIO VII.

DE NUMERO, ORDINE, ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM; NECNON de Sacramentalibus.

Div. Thom. Quæst. 65.

ARTICULUS I.

De Numero Sacramentorum.

DIco (*Hic. q. 65. art. 1. o.*) Sacramenta novæ Legis sunt 7. nec plura, nec pauciora; scilicèt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Est de fide contrà Lutheranos & Calvinistas, qui duo vel tria tantùm Sacramenta agnoscunt; quidam enim Baptismum & Cœnam dumtaxat admittunt: alii addunt his duobus Confirmationem, alii Pœnitentiam, alii Ordinem: ità errantes inter se dividuntur.

Prob. 1. Scripturis, quæ de quolibet Sacramento mentionem facient, loca retulimus Dissert. 3. art. 1. require. Itèm referemus, dùm de singulis Sacramentis. Prob. 2. ex constanti Ecclesiæ praxi & sensu. Ecclesiæ quovis tempore damnavit eos qui septenarium Sacramentorum numerum temerabant: sic sæculo 3. damnavit Novatianos, qui Neophytos non confirmabant: sæculo 4. Manichæos, qui nuptias damnabant: sæculo *14.* Wicleflistas, Extremam-Unctionem rejicientes: sæculo 16. Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, quorum alii duo, alii tria tantùm Sacramenta admittebant, ut dictum est. Confir. ex summo consensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ in statuendo septenario Sacramentorum numero. Hunc probant Ritualia Græca, edita à Jacobo Goar, demonstrat Leo Allatus: itèm Jeremias Patriarcha Constant. qui in censura, quà perstringit Augustanam Lutheranorum Confessionem, testatur in Ecclesia Græca septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora, recipi.

Prob. 3. ex Conciliis. Concilium Londoniense ann. *1237.* auctoritate Ottonis S. Sedis Legati celebratum, numerat 7. Sacramenta assignata. Concilium Florentinum in decreto unionis ann. 1439. sic definit. *Novæ Legis septem sunt Sacramenta: videlicèt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium*; nullo Græcorum contradicente. Concilium Trid. sess. 7. Can. *1.* sic pronuntiat: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicèt, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum*; *anatema sit.*

Prob. 4. ex Patribus. Tertullianus antiquissimus Scriptor l. de præscript. c. 40. meminit Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & summi Pontificatûs, id est, Ordinis: Pœnitentiæ l. quem inscripsit de hoc Sacramento: itèm Ordinis libr. ad uxorem c. 7. & de præscript. c. 41. ubi addit Ægrotorum curationem, id est, Extremam-Unctionem: Matrimonii l. 2. ad uxorem c. 8. Aug. l. 5. de Bap- c. 20. memorat Baptismum, Eucharistiam, & Oleum, id est, Extremam-Unctionem. Itèm Oleum Ep. *119.* Confirmationem l. 2. contrà Litt. Petiliani c. 104. Ordinationem l. 2. cont. Ep. Parmeniani c. 13. & l. 1. de Baptis. c. 1. Pœnitentiam in Ps. 146. Matrimonium l. 1. de nupt. & concupisc. c. 10. Alii verò Patres modò unius, modò alterius, proùt occasio se offerebat, meminerunt. Hinc Magister Sententiarum, qui floruit circà medium sæculi 12. septenarium Sacramentorum numerum tamquàm rem in Ecclesia constantèr & communitèr receptam adstruit nemine reclamante, quamvis in pluribus aliis multos habuerit impugnatores. Deindè S. Thom. & omnes Scholastici, excepto uno Durando, qui Matrimonium è numero Sacramentorum expunxit.

Prob. 5. (*Ib.*) ratione congrua Auctoris ex similitudine vitæ spiritualis corporali. Ad vitam corporalem tùm privatam, cùm publicam, septem sunt necessaria. 1. Generandus est homo. 2. Augendus & roborandus. 3. Nutriendus. 4. Si infirmatur, sanandus. 5. Reliquiæ infirmitatum removendæ. 6. Quia est animal sociale, constituendi superiores, qui rempublicam & societatem regant. 7. Quia est mortalis, ne pereat societas, necessaria est legitima maris & fœminæ conjuntio ad propagationem. Ità ad vitam spiritualem, quæ conformitatem aliquam habet cum corporali, septem sunt necessaria. 1. Per Baptismum renascimur. 2. Per Confirmationem augemur & roboramur in fide. 3. Per Eucharistiam spiritu nutrimur. 4. Per Pœnitentiam sanamur. *5.* Tolluntur reliquæ peccatorum per Extremam-Unctionem. 6. Per Ordinem constituuntur Sup eriores, qui Ecclesiæ societatem regant. 7. Per Matrimonium fit religiosa prolium propagatio & Christiana educatio; non enim est solùm in officium noturæ, sed est etiam Sacramentum gratiæ,

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Neque in Scriptura, neque in Patribus invenitur septenarius Sacramentorum numerus; ordine & expressis verbis definitus: imò quidam Patres duorum tantù m, alii trium, alii quatuor meminerunt. S. Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. ubi prolixè tractat de Sacramentis c. 2. *3.* 4. 5 Baptismi, Confessionis, Eucharistiæ & Ordinis tantùm mentionem facit, c, 7. obitèr Pœnitentiæ; sed nullatenùs Matrimonii, & Extremæ-Unctionis Justinus in apologia Baptismum & Eucharistiam tantùm nominat. Cyrillus in suis Catechesibus & Ambrosius libr. de sacramentis his addunt Confirmationem dumtaxàt R. N. Conseq. Sufficit enim, quòd in Scriptura & Patribus inveniatur res, ex quibus coligitur numer us septenarius Sacramentorum; quod ità esse probavimus. Neque ullus Patrum unquàm asseruit, esse tantùm vel duo, vel tria Sacramenta; sed modò duorum, modò trium, modò plurium meminerunt, prout occasio ferebat, & suo proposito conveniebant. Sic Dionysius non meminit Matrimonii & Extremæ-Untionis, quia ex-professò non agebat de Sacramentis, sed de actibus hierarchicis, seu officiis sacris, quæ in Ecclesia solemnitèr & cum quadam consec ratione exercentur. Nec tamèn omninò siluit de Extrema-Unctione, dùm cap. *4.* loquitur de Consecratione *sacri Olei*, quo nomine intelligitur non solùm Chrisma, aut Oleum Catechumenorum, sed etiam infirmorum. Justinus agit de Baptismo & Eucharistia; quia intendebat retundere calumniam Gentilium, qui dicebant, Christianos baptizari malefica superstitione, & eos apponere in sacra Mensa carnes infantium trucidatorum. Cyrillus & Ambrosius ibi instruunt Catechumenos; & ideò loquuntur de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, quæ solebant tùnc simùl eis dari.

Inst. ex Aug. 1. S. Doctor Ep. 118. nùnc 54. & l. 3. de Doctr. Christiana c. 9. numerat tantùm duo Sacramenta, Baptismum, scilicèt, & Eucharistiam. 2. Tract. 120. in Joann. dicit. ex latere Christi fluxisse Sacramenta Ecclesiæ, quod & alii Patres dicunt. 3. Consuetum erat antiquis Religionis Mysteria Gentibus occultare. At juxtà Aug. in Ps. 103. duo tantùm, Baptismus & Eucharistia, ocultabantur: *Quid est*, inquit, *quod occultum est & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ: Opera enim nostra vident Pagani, Sacramenta verò occultantur illis.* R. ad 1. Augustinum alibi aliorum Sacramentorum meminisse, ut probavimus: imò & in iis ipsis locis objectis alia esse, quàm duo nominata, apertè indicat. Dicit enim 1. loco: *Sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio Corporis, & Sanguinis Domini, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* In 2. loco: *Sicuti est Baptismus, & celebratio Corporis Christi;* quo loquendi modo manifestè patet, hæc duo ex pluribus aliis proferri in exemplum. Ad 2. Sub duobus Sacramentis cætera comprehenduntur, quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum, Eucharistia finis, & præstantissimum omnium. Aliundè Aug. loquitur ibi de ædificatione Ecclesiæ, ad quam concurrit *Sanguis Redemptionis*, per quem soluto pretio redempti sumus; & Baptismus, per quem regeneramur. Ad 3. Duo numerat, sed alia non excludit, imò alia asserit ibidèm; dicit enim: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, & in cæteris sanctis Sacramentis.* Insupèr Basilius de Spiritu S. c. 2. dicit, *Olei unctionem* etiam occultari. Chrysost. hom. 18. in 2. Cor. inter secreta recenset Ordinationem: si ergo valeat argumentum, debent Hæretici agnoscere Sacramenta Extremæ-Unctionis, & Ordinis.

Obj. 2. Lotio pedum est Sacramentum: ergo sunt plusquàm 7. Sacramenta. Prob. Ant. 1. Est signum sensibile. 2. Est signum gratiæ, Joann. 13. v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*: quæ verba significant mundationem a peccatis venialibus, quæ post gratiam baptismalem committuntur, & significantur pulvere pedum. Et v. 7. *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autèm posteà:* quæ verba indicant significationem mysticam in ea lotione latitare. Et signum a Christo institutum, & præceptum v. 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis*; atqui hæc tria constituunt verum Sacramentum: ergo. R. N. Ant. Namque lotionem pedum non fuisse a Christo Domino institutam, & præceptam tamquàm Sacramentum, certò constat ex ipsa Ecclesia, quæ septem tantùm agnoscit Sacramenta, & cujus disciplina varia, & inconstans circa hanc pedum lotionem evidentèr probat, eam numquàm habuisse ut Sacramentum. Ambros. l. 3. de Sacram. c. 1. testatur, Ecclesiam Romanam omnium Matrem, eam non observare. Ecclesia Hispaniarum, teste Isidoro l. *6.* Etymolog. c. 7. non solùm pedes, sed caput baptizandorum lavabat Dominica Palmarum; undè hæc lotio dicta est *Capitilavium.* Eumdem morem servatum fuisse in Galliis, refert Alcuinus l. de Ecclesiasticis officiis. Deindè Ecclesia Hispanica in Concilio Illiber. Can. 48. prohibuit, lavari a Sacerdotibus, & Clericis pedes eorum, qui baptizabantur. De Ecclesia Africana scribit Aug. ad Joann. Ep. 55. aliàs 119. c. 18. *Ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere* (lotio pedum), *multi hoc in consuetudine recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt.* Ex quibus evidens est, lotionem pedum numquàm habitam fuisse in Ecclesia ut Sacramentum a Christo institutum, & præceptum, sed in quibusdam ut cæremoniam Ecclesiasticam. Insupèr, si lotio pedum esset Sacramentum remissivum venialium, ut volunt, cur semèl tantùm in anno, & non quotidiè adhibetur, cùm sint quotidiana peccata venialia? Cur ante Baptismum adhibebatur, cùm peccata venialia non dimittantur ante mortalia, quæ per solum Baptismum diluuntur? Itaquè

Ad probat. N. quòd sit signum practicum gratiæ conferendæ vi istius lotionis, quod requiritur ad rationem veri Sacramenti; sed signum fuit humilitatis, & charitatis a nobis exercendæ pro remissione venialium, quarum virtutum per hanc lotionem Christus dedit nobis exemplum, juxta illius verba: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci,* &c. Hæc igitùr verba: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes,* metaphoricè sunt intelligenda de præcepto humilitatis, & charitatis. Ista: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non significant gratiæ promissionem per hanc actionem conferendæ, sed comminationem privandi Petrum, vel consortio, & familiaritate Christi, vel sacra mensa, quæ parabatur, vel Regno Cœlorum; non quòd hæc ablutio ut talis esset absolutè necessaria, sed obedientia. Horum autèm verborum: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*; sensus est, quòd, sicùt qui est lotus, est totus, id est, toto corpore, mundus, nec indiget alio lavacro, nisi quo pedes lavet, qui pavimenti pulvere, quod calcat, iteratò infecti sunt; sic in vobis, qui Baptismi lavacro estis toti mundi, solùm leviori aliqua lotione indigent pedes, id est, affectus animi vestri, qui ex terrenarum rerum pulvere, in quo versantur, subindè leves sordes contrahunt: rectè enim per pedes significantur affectus; quia, sicùt corpus pedibus, ita anima movetur affectibus. Hæc autèm lotio perficitur contritione, Sacramento Pœnitentiæ, humilitate, charitate, &c. quorum hæc externa lotio symbolum fuit. Quod addit: *Sed est mundus totus*; non significat, eum ex omni parte mundum esse, qui pedes adhùc immundos habet; sed quòd per Baptismum ità sit mundus, ut possit simplicitèr dici mundus, & justus, etiamsi una aliqua parte adhùc parùm sit immundus. Ex quo sequitur contra Sectarios, quòd regenerati per Baptismum, aut reconciliati per Pœnitentiam, rectè vocentur simplicitèr, & sint justi, quamvis peccata venialia committant. Ità Estius, & Tirinus post S. Aug. Rupertum, & Bernardum. Tandèm horum verborum: *Tu nescis modò, scies autèm posteà;* sensus est: Tu non intelligis modò causam, & mysterium hujus lotionis: *scies autèm posteà*, cum mysterium hoc vobis exposuero versu 12. *Scitis quid fecerim vobis*, &c.

Inst. Ambros. l. 3. de Sacramentis c. 1. dicit, ritum illum lavandi pedes non ad humilitatem, sed etiam ad sanctificationem institutum fuisse: *Ideò*, inquit, *lavat pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat.* Et libr. de Mysteriis c. 6. *Ideò*, inquit, *plantæ ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: nostra enim propria per Baptismum relaxantur.* S. Bern. serm. in cœna Domini 1. annumerat Sacramentis lotionem pedum. *Ad hoc*, inquit, id est, ad communicationem gratiæ, *instituta omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum lotio, ad hoc deniquè ipse Baptismus.* Deindè dicit, pedum ablutionem esse reverà Sacramentum significans remissionem peccatorum venialium: *Nàm*, inquit, *ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem.* Deniquè probat, ablutionem pedum fuisse factam non solùm ad humilitatis exemplum, sed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem: *Vis*, inquit, *nosse, quòd pro Sacramento, illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende, quod Petro dictum est: si non lavero te, non habebis partem mecum... Undè scimus, quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plenè cavere non possumus antè mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quod offerenti manus, & caput paritèr abluendum, responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut lavet pedes?* Ergo.

R. Ex dictis, hos, & alios Patres, qui similitèr loquuntur, sumere Sacramentum latiori sensu pro omni signo gratiæ, seu remissionis peccatorum, quamvis illam non efficiat, quod tamèn requiritur ad rationem veri Sacramenti novæ Legis; quod est gratiæ signum non speculativum tantùm, sed practicum, id est, per se effectivum illius, quod significat. Neque enim usquàm dicunt, istam pedum ablutionem habuisse per se vim sanctificandi, aut peccata venialia remittendi. Itaquè ad Ambrosium 1. dicit, illum ritum institutum fuisse non solùm ad humilitatem, sed etiam ad sanctificationem, significandam scilicèt, non tamèn efficiendam, nisi per humilitatis, & charitatis exercitium, cujus hæc lotio fuit symbolum, & exemplum. 2. Per hæreditaria peccata non intelligit peccatum originale, quasi per Baptismum non dilueretur, si quidèm expressè dicat l. citato de Mysteriis, & 3. de Sacramentis, *in Baptismo omnis culpa diluitur*: sed per hæreditaria peccata intelligit concupiscentiam, quam ab Adamo hæreditariè, & ex naturali nativitate contrahimus, quamque vocat peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Ità seipsum explicat S. Doctor in Ps. 48. ubi quod libr. de Mysteriis vocaverat *Hæreditaria peccata*, vocat *lubricum calcanei*: *Lavemus, & pedes*, inquit, *ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum; & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito; & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Sensus itaquè Ambrosii in utroque loco est, quòd post mundationem baptismalem requiratur adhuc alia, qua hæreditaria concupiscentia contineatur, ne efluat ad quotidiana peccata; & ipsa, si commissa sint, emundentur; quæ emundatio significatur quidèm, sed non efficitur per lotionem pedum, nisi mediante exercitio virtutum, quarum est symbolum. Ad Bernardum *1.* annumerat lotionem pedum Sacramentis, proùt Sacramentum latè sumitur pro signo rei sacræ, quam tamèn non efficit. 2. Eodem sensu dicit, pedum ablutionem esse Sacramentum remissionis peccatorum quotidianorum, quia illam significat, non quia illam efficit. 3. Deniquè non esse tantùm institutam in exemplum, sed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem, quia illam peregit Christus, non præcisè ut ejus exemplo lavaremus pedes aliarum civilitèr, ut olim fiebat in conviviis, sed ex humilitate, & charitate, quibus diluerentur peccata venialia.

Obj. 3. Sunt septem Ordines, & quilibet, ex S. Thom. ett, Sacramentum: ergo sunt plusquàm septem Sacramenta. R. D. Ant. Et omnes sunt Sacramenta absoluta, & absquè ordine ad unum principale, cui deserviant, & quod participent, N. Ordinata ad unum scilicèt Sacerdotium, cui deserviunt, & quod participant, C. Ratione autèm hujus ordinis ad unum principale omnes Ordines dicuntur unum Sacramentum. Undè neganda est Consequentia. Sed de hoc argumento alibi.